



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 2. De Auruncis & Ausonibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

discreta. Hic si vaticinari licet, eos esse puto qui ex Opicâ gentē contra Siculos bellum gessere eosque ex Latio expulere, & *Oscos* dictos aliter esse quasi Opicos: ratio est quia idem est *Oscè*, & *Opicè* fabulari, at idem est *Oscè* ac *Volscè*, igitur. Scio Strabonem manifestè *Oscos* ab *Opicis* distinguere; sed Latini, homini *Græculo* prævalere debent. Sunt autem *OPICI* dicti à serpentibus quibus eorum regio scatebat, & olim *Campaniæ* partem obtinebat, atque etiam *Latium*. Sane *Aristoteles* apud *Dionysium* posuit *Latium* in *Opicâ* terrâ, & *Plato* *Opicos* vocat, qui præerant mari *Tyrrheno*: item *Scymnus* ponit *Cumas* in terrâ *Opicâ*, & *Dionysius* in iisdem *Opicis*, *Misenum* & *Parthenopem* collocat: apud *Dionem Cæsar* videtur *Campanos Opicos* nominare; quis etiam ignorat *Atellam* in *Opicis* fuisse. Fuit ergo *Opicorum* gens amplissima, utpote quæ *Aufonas*, *Auruncos* *Aufonum* partem, *Campanos*, *Sabinos* & reliquos *Samnites* ex *Sabinis* oriundos, quorum omnium vna lingua fuit quæ opponitur *Græcæ* & *Latinæ*; unde *Ennius* apud *Agell.* lib. 17. c. 17. triplici corde instruitur, quod tribus linguis loqueretur, *Græcâ*, *Latinâ*, & *Oscâ*. Quod autem ait *Strabo* *Oscorum* gentem periisse, linguam remansisse; vel intelligendus de *Oscorum* gente latissimè patente, vel certè de *Volscis* qui sequenti tempore in *Latinorum* nomen transierunt; nam apud *Florum* lib. 1. cap. 11. pertinacissimi *Latinorum* dicuntur.

FINES. Ab Occidente separabantur à *Rutulis* & *Latinis*: à *Septentrione* *Æquis*, *Hernicis*, & *Marsis*: ab *Oriente* *Samnitibus*, & *Campanis*: denique à meridie maris inferi parte, & *Auruncis*.

N V M. 2. De Auruncis, & AVSONIBVS.

NOMEN & ORIGO. *Aufones* quondam à *Terracinâ* ad fretum vsque *Siculum* *Italiam* incoluerunt, unde sensim expulsi sunt ab *Oenotro* 17. ætatibus ante *Troia* *ἄλωσι*, ut postea dicemus. Unde factum ut pars illa diceretur *Oenotria*, quæ antè *Aufonia* vocabatur, sicut & tota *Italia*. Dicti autem sunt *Aufones* ab *Aufone* *Vlyssis* & *Calypsus* filio, ut omnes *Grammatici* putant. *Aufonum* vrbes porrò nominantur *Cales*, *Beneuentum*, *Nola*, ut ait *Suidas*, ut *Strabo* lib. 5. loca inter *Sinuëssam*, & *Terracinam*: videlicet expulsi ex superioribus locis *Beneuento*, &c. ad mare se continue-

runt infra Volscos, ubi dicti sunt Aurunci; sic enim disertè Seruius ad 7. Æneidos; *Aurunci Græcis Ausones nominantur: & apud Macrobius & Agellium pro Ausonibus appellantur Aurunci. Sed rem conficit Tzetzes ex Dione Cocceiano; Ausonia propria Auruncorum vocatur terra inter Campanos, & Volscos ad mare sita.* Porro de nomine Auruncorum antiqui profus tacent.

FINES AVRUNCORVM sunt, ab Oriente Mons Massicus supra Sueffam Auruncam; à Septentrione & Occidente hinc linea deuens ad Terracinam; à Meridie pars Inferimarum.

N V M. 3. De Hernicis.

NOMEN & ORIGO. Dicti sunt à Saxis quæ incolebant; nam Marsicâ & Sabinâ linguâ *Herna* significant *Saxa*, sic Festus & Seruius: Macrobius tamen eorum nomen ab Hernico quodam Pelasgo deduxit, quem Ætolum fuisse suspicatur, quia deinceps gens illa vno pede nudo ad bellum procedebat.

Initio Historiæ Romanæ semper distinguuntur à Latinis, & origine Sabini ex voce fati intelliguntur: tumque apud Dionys. Halic. dicuntur gens valida, bellicosa, & fortis; sed tandem in Latij fines nomenque transferunt.

FINES: à Septentrione Marsis, & Æquis coniunguntur, ab Oriente, Meridie, Occidente Volscis ambiuntur.

N V M. 4. De Aequis, seu Aequiculis.

NOMEN & ORIGO. Variis modis eorum effertur nomen, nam & dicuntur Æqui, & Æquiculi, & Æquani *αἰχμοί*, & Æquiculi, & Equiculi, apud Diodorum Siculum Æcli, & Æcicli. Vox autem illa *Cole*, & *Coli* innuit eos agris colendis vacasse; vnde Virgilius ad eorum nomen videtur allusisse dum cecinit 7. Æneidos,
— *duris Aequicula glebis.*

Sub initium Historiæ Romanæ à Latinis distinguuntur, vt apud Liuium lib. 3. dicuntur *agrum Latinum inuasisse*, & paulò post *in Latino castra possuisse*: item *vexatos excursionibus Aequorum Latinos*; igitur Latini non erant, sed victi, subiugati, attriti Latio accensi sunt, vt testatur Strabo lib. 5. & apud Florum lib. 1. cap. 11. *Pertinacissimi Latinorum dicuntur fuisse Aequi, & Volsci.*